

In diesem Bande fehlen die Schriften Nr 39-41.

21. Sep. 1955.

Suchier.

Nr. 60.2.

174.
12

PENTAS
T H E S I U M
THEOLOGICARUM,

- I. De Prophetiis in genere. II. Malachiâ non-Prophetâ
III. De Prophetiâ Cygni. IV. Igne Johanneô.
V. De Achilleô Argumentô contra Communicationem Idio-
matum, humanæ Christi Naturæ factam.


Quam
FAVENTE DIVINA GRATIA,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO atquè EXCELSISSIMO PRINCIPE ac DOMINO,
DOMINO FRIDERICO
WILHELMO,
REGNI PRUSSIÆ ET ELECTORATUS BRANDENB.
HÆREDE. &c. &c. &c.
CONSENSU VENERANDÆ FACULTATIS THEOLOGICÆ,
PRÆSIDE

VIRO MAXIME REVERENDO, EXCELLENTISS. Atq; AMPLISSIMO
DN. PAULO POMIAN PESAROVIO,
S. S. Theol. D. ejusdemq; Profess. Publ. Extraord. Celeberrimò,
Eccles. Cniphofianæ Pastore, Scholæque Inspectorè Vigilantissimò.
Consistorii Samb. Assessore dignissimo
Patrono ac Præceptore suo, omni observantia cultu prosequendò M.

Publico Eruditorum Examine
H. Lq. solitis submittit
BARTHOLOMÆUS ANDRÆ,
Phil. & S. Theol. Stud. Johannsb. Pruss.
AUCTOR ET RESPONDENS.

ANNO MDCCL. d. Octobr.

REGIO MONTI, Typis REUSNERIANIS.

VIRO
PRÆ-NOBILISSIMO, CONSULTISSIMO,
AMPLISSIMO, EXCELLENTISSIMO
DOMINO,
DN. JOHANNI
CHRISTOPHORO 
UTRIUSQUE JURIS DOCTORI ET PROFESSORI
PUBLICO ORDINARIO CELEBERRIMO,
SUPREMI IN REGNO PRUSSIÆ APPELLATIO-
NUM JUDICII ASSESSORI EMINENTISSIMO,
CONSISTORII SAMBIENSIS PRÆSIDI, UT GRAVISSIMO
ITA MERITISSIMO,

*Domino Patrono, Mæcenati atq; Studiorum meo-
rum Promotori, summò observantia cultu prosequendo*
In Testimonium gratissimi animi pro exhibitis ultra tricen-
nium beneficiis, ulteriorem favorem mihi, studiisque
meis exorans

Tenne hoc Specimen Theologicum

Cum votò Felicitatis exoptatissimæ, in singulare Decus ac
emolumentum Rei Ecclesiasticæ & Literariæ, grande
commodum Justitiæ, inque florentissimum ornamen-
tum PRÆNOBILISSIMÆ FAMILIÆ, secundum
cordis desiderium diutissimè continuandæ

Submissâ mente, manuque offero

Cluens observantissimus

BARTHOLOMÆUS ANDRÆÆ.

בשׁב

THES. I. De Prophetiis in gen.



Prophetia & donum prophetandi post obsignatum S. Scriptura Canonem cessarunt. Vox Prophetiae (Hebr. נבִּיאָה à R. נבִּיאָה vel נבִּיאָה) multis significationibus in S. literis est obnoxia, quas Delrio *Tóm. II. Disquis. Magic. lib. 4. c. 1. quest. 1. Flacius part. 1. Clavis. Tit. Prophetia.* Matth. Martinus in

Lexic. Philol. hoc Tit. prolixius evolvunt. Nobis in thesi prophetia est cognitio & revelatio rerum per naturam incognitarum, per Spiritum S. Viris DEI inflata & ab his per verba & signa auditoribus rursus significata, ex Hülfemanni *Proœmiò Commentario in Proph. Jerem. prefixò.* Pro stabiliendâ nostrâ Thesi argumenta desumimus (I) à dicto ex *Matth. XI. v. 13. Lex & Prophetia usque ad Johannem prophetarunt.* Non autem dicimus, Prophetas hoc vel illò Johannis annò cessare oportuisse, sed *παυλωὺς* circa illud tempus, quò Johannis prædictio per totum orbem per Apostolos est sparsa. Constat enim, initio N. T. fuisse veros Prophetas, ut Agabum *Act. XI. v. 28 & XXI. v. 11.* Annam Prophetissam *Luc. II. v. 36.* & alios. Hùc quoque referri potest B. Hülfemanni argumentum ex *I. Cor. XIII, 8. 9. 10.* depromptum, ubi Prophetia desitura dicitur, Ecclesiâ jam exstructâ sive perfectiori revelatione insequente, ipsaq; prophetandi ratio imperfecta καὶ ἐκ μέγους v. 9. contra verò prædicatio in Ecclesiâ constituta τὸ τέλειον vocatur vers. 10. in *Breviar. cap. III. §. 13.* (II) *Ab Auctoritate S. Scripturae,* quæ nos ab omnibus aliis prophetiis revocat *ad legem & testimonium* Elaiâ VIII. vers. 20 *Jubemur non alias & Σελῆματι ἀνθρόπων* latas prophetias sed *Mosen & Prophetas* (Θεοπνεύστους) audire *Luc. XVI. v. 29.* Ad hos enim epulo ablegatur, utut ille novas prophetias fratribus impertiendas censeret. Jubemur *βεβαιώσθω τὸ πεποιητὸν λόγῳ* seu *πεποιητὰ γέγραπῆς* attendere 2. *Perr. I. v. 19.* quem locum efficacissimum ad novas revelationes confutandas judicat *Guil. Estius in III Sent. Diss. III, §. 5. Conf. Joh. V. v. 39. Eph. VI, 17. Col. III, 16. &c.* Hujus mandati præter alios observantissimi Berrhoënnes it. *Constantinus M. in Conc. Nicæno unice Scripturarum S. studiò tenebantur. Act. XVII. 11. Theodoretus H. E. Lib. I. c. 7. (III.) A Canonis utriusq; Testamenti perfectione,* omnium novarum Prophetiarum additamenta respuente *Vid. Psalm. XIX. 8. Deut. XII. 32. & Apoc. XXII. v. 18. Act. XX. 27. Joh. XX. 31.* Hinc vel Angelo è cœlò aliud Evangelium annuncianti anathe-



ma dicitur Galat. I. 8. & 2. Timoth. III. v. 16. 17. ὁλὴν S. Scripturæ utilitas ad omnes usum Theoreticos tum Practicos adstruitur. Rectè Irenæus *lib. II. adv. hares. c. 47. Scripturæ, inquit, perfectæ sunt, quippe à verbo DEI & Spiritu ejus dictatæ.* Quare jam nec prophetia nec prophetandi donum ob sufficientissimam de doctrina fidei & vitæ nostræ revelationem ullò modò sunt necessaria. Contrarium verò defendentibus idem respondemus, quod Augustinus olim miracula urgentibus: *Possem dicere, necessaria fuisse, priusquam crederet mundus, ad hoc, ut crederet mundus. Quisquis adhuc prodigia, ut credat, inquirat, magnum est ipse prodigium, qui mundo credente non credit, lib. XXII de Civit. DEI c. 8.* Porro aut nova aut vetera prædicantur; non nova, quia maledictum omnè novum in fide Galat. I. 8. *Veterum* verò Prophetiarum interpretationes, etiamsi nobis incognitæ adhuc fuerint, non sunt tamen prophetiæ sed *interpretationes* tantum, distinctæ à prophetandi dono Luc. XXIV. 27. 32. Actor. XVII. 3. (IV) *A promissionis defectu.* Nullibi in S. Scripturâ prophetiæ immediatæ aut visiones expectandæ promittuntur, quin potius omnis spes iis imposturum potiundi præcinditur per illud: *Multifariam multisq; modis olim DEUS locutus Patribus in Prophetis, ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν τῆς αἰῶνος, locus est nobis in Filio.* Hebr. I, 1. 2. cujus dicti nervum solide exponit Johann. Winckler Past. Hamburg. in seinem Bedencken über das Sendschreiben von den neuen Offenbahr. Novarum verò Prophetiarum Patroni nullò successu urgent dicta S. Scripturæ ut Jerem. XXXI, 33. 34. Joël. II. v. 28. Amos III. v. 7. Apoc. XI. &c. quæ ab illorum pravis detorsionibus strenuè vindicantur à Ministerio Lubec. Hamburg. & Lünburg. im ausführl. Bericht von den neuen Propheten & Wincklero l. c. Loca sequentia scil. I. Cor. XII. 9. & 28. Ephel. IV. v. 11. I. Joh. V. 8. I. Theff. V. 19. 20. non de vanis & ἀνευθάλους prophetiis, Spirituque fanatico sed de divinitus inspiratò verbò ejusque explicatione & applicatione sunt interpretanda. Plura dabit *Quenst. System. Theol. part. I. Sect. II. c. 3.* Patrocinantur verò novis prophetiis Montanistæ, Donatistæ, Messaliani, Pontificii, Weigeliani & plures alii antiquiores & recentiores Fanatici, quorum à tempore Apostolorum ad nostram usque ætatem (quâ vix ulla antiquior ejusmodi homuncionum exfuit feracior) ingens catalogus contexitur ap. Voëtium *P. II. Diss. Select.* p. 1055. seqq. Joh. Meisner. in *Tract. Theol. de Prophetiis Quenst. l. c.* Sed dicere aliquis possit, ita quidem se rem habere de Prophetiis circa res sacras seu articulos fidei, ut nullatenus recipi debeant; nonne verò aliud judicium est ferendum, de pro-

phetiis, res profanas & externas, e. g. bella, pestem &c. concernentibus? Fanaticis equidem & inter eos potissimum Weigeliani omnes prophetias usque adeo pro certis habent, ut non minus hodie, quam olim per Ephod, Urim & Thummim DEum ordinariè de Turcis, bello, peste &c. interrogari posse dicant. Weigel. in *Der Offenb. Göttl. Majestät* lib. XVI. p. 186. Alii existimant, omnes in univertum visiones atq; prophetias temere sine ullò discrimine rejiciendas non esse, si hæ analogiâ fidei (Rom. XII. 6.) eventu (Deut. XIII. 20. 21.) debitâ Personæ prophetantis conditione, charactere Spiritus S. & similibus affectionibus non sint destitutæ neq; a DEo precibus fuerint expetitæ; hoc enim illicitum esse, inde patet, quia preces *τὸ ψάλημα θεῶν* fieri debent, I. Joh. V. 14. DEus verò nullibi præcepit, ut visiones ejusmodi immediatæ perantur; quare etiam B. Augustinus & Lutherus Satanæ, ipsos ad petenda à Deo signa sollicitanti, masculè se opposuerunt. Vid. illius lib. X. Conf. c. 35. Hic verò in Gen. c. XXII. *Satan me quidem*, inquit, *sæpe tentavit (sicut S. Augustinum, qui deprecatur ne Angelus sibi appareat ut postularem signum à Deo, sed absit a me, ut huic tentationi assentiar.* Enim verò cum vix ulla Prophetia nova de modò dictis & similibus notis sibi possit gratulari, multa etiam videantur, cum non sint juxta illud Augustini: *Innumerales sunt, qui se videntes non solum jactant sed à Christo illuminatos se esse videri volunt*, Tract. 47. in Joh. hinc cum nostris Theologis admodum periculosum esse censemus, ejusmodi Prophetiis certam fidem adhibere, quia & hæ posterioris generis Prophetiæ nullâ in S. literis gaudent promissione, nulla earum est necessitas Vid. argumenta suprâ adducta, hæc quoq; optime applicanda. Cæterum fata Rerum publicarum & futuram Ecclesiæ conditionem scire desideras: Quid? annon exstant oracula divinitus concessa & facti omnium probatissimi? Visionibus crede a Daniele & Johanne consignatis, nec deerit quicquam, novâ prophetiâ indicandum. Nec ad ea indaganda, quæ fata, fortunamq; tuam concernunt, opus habes revelationibus: neque enim id percontari tuum est, nec Domini vias quisquam cognovit Syr. XI. 4. XVI. 19. 20. Sufficit te certò scire, providere nobis Dominum Ps. XXVII. 5. à quò sortes & fata nostra dependent, I. Petr. V. 7. Quid? quod vel istæ Prophetiæ non statim pro veris sunt habendæ, quibus etiam eventus respondet Deut. XIII. v. 1. 2. 3. vel quæ analogiæ fidei non repugnant, utpote cum & tales Prophetiæ Diabolo Auctore provenire queant Marc. I. v. 24. Act. XVI. 16. *Concessum est Diabolo interdum vera dicere, ut mendacium suum rarâ veritate commendet. Si enim nunquam verum diceret nec ad tentationem poterat sufficere seductio ejus.* Chrys. homil. 19. Oper. Imp. in Matth. His gemina habet Gerfon, ita loquens: *In Spiritu mendaciū mille quandoq; sunt veri-*



*veritates aperta, ut in unica latenti falsitate decipiat, Tit. de Prob. Spirit. p. 532. Porro quot non jactantur Prophetiæ, quæ tamen, tot exemplis id abundè comprobantibus, vel fictæ, vel è morbis nempe mania, melancholiâ phrenesi &c. ortæ, imo etiam cum maximò religionis & regionis periculò conjunctæ? Prodeant Ceriathus, Moutanus, Donatistæ & Pontifici & de Visionum fraudibus, religioni veræ, immane quantum noxiis, exemplis, propriis edisserant: Loquatur Germania, quæ Th. Münzeri, Anabaptistarum & Münsteriensium furores seridè experta est, test. Sleidanò in *Comm. Lib. V. V. L. X.* Testetur Scotia, cujus Procetes ac Status à Spiritu S. potissimum ad seditionem ac rebellionem adversus Regem legitimum se impulsos disertè fatentur ac in scripto Anno 1638. publicè protestantur, neque seipos, neque alios, quorum corda tetigerit Dominus, ut confederationi illorum sese jungant, ulli noxæ subjiciendos, quod proluxè ex eorum scriptis probat D. Hülsemann. in Calv. Ireconc. quæst. IV. Thef. I. §. I. Observationem hic quoque merentur verba D. Becmanni ex *Dissertat. de Prodig. Sangv. p. 34.* Humanum ingenium dum adversis urgetur spes quascunq; colligere, iisq; in futura se erigere amat. Ac in partes hæc & Christianæ Pontatorviæ, celebris per Poloniam & Bohemiam Vatis exemplum veniet. Cur enim omnes fere visiones ejus osculò & amplexu visi amici, quem tamen caelestem dicebat, terminabantur? Cur cum matrimonium iniisset, Visiones illæ cessarunt? Enarrat utiq; sollicitè has circumstantias, qui Historiam hujus, aliorumq; Vatum suorum æque ac vaticinia ipsa Titulò Lucis in tenebris edidit, Joh. Amos Comenius: Quibus utinam abstiquisset! Effecit sane, ut decies mille & amplius Familiæ Evangelicæ istorum locorum prope interierint, dum fidem horum talium spectantes manum adversariorum gravissimam inde passa sunt H. I. Horresco id referens! Interim is felix, quem faciunt aliena pericula cautum! Deniq; nostratum Theologorum, a nostris partibus stantium nomina totum §. XXVI. complect in Disput. D. Casp. Loelcheri de *Visionibus & Revelat.* Sed objicis (1) Atqui prophetiæ Johannis Hiltenii & alius cujusdam (a quibus Reformatio, ab hoc ultimò verò etiam ejusdem An. MDXVI. fuere prædicta) in *Apolog. Aug. Confess. Tit. de Votis Monast. p. 276.* memorantur; multa præterea multorum de Reformatione D. Lutheri edita vaticinia recenset, & de iis benè sentit Gerhardus, in *Confess. Cathol. lib. I. Part. I. c. 5.* E. donum Prophetandi ultimis temporibus non est denegandum. Respondemus (1) Apologia ista vaticinia pro prophetis strictè sic dictis non venditat, sed ea potius cujuslibet judicio relinquit (2) Hiltenius & alii subtili ingenio præditi atq; egregiâ S. Scripturæ notitiâ imbuti, ad corruptissimum Ecclesiæ temporis sui statum facillè applicationem facere & conjecturare potuerunt*

runt, unum vel plures fore, qui iusto Zelò in perdiuissimos in doctrinà & moribus errores inueherentur, & Ecclesiam pristino Splendori restituerent; quod etiam inde elucescit, quia in suprâ memoratò vaticiniò anachronismus committitur, utpote cum non MDXVI. sed sequenti annò Lutherus Papatum oppugnare cœperit. Jam vero Spirito S. in illò tempore, quod in suâ ipsius constituit potestate, errare non potest. Eò etiam propendet B. Carpz. in lsg. in Libr. Symb. p. 719 inquit: *Non Apologia exinde doctrinale caput Ecclesie probare voluit, more a Papisitis frequentato - - sed saltem significat, quomodo Monachalis Regiminis declinationem sive conjecturis sive somniis sive vaticinis verbis eminùs etiam nonnulli viderint* (3) Si etiam dicamus, Hiltenium & ejusmodi alios ἀναλόως & ἀνόως Prophetas dici posse & deficientē aut teterrimè corruptò ordinariò verbi ministeriò munus Prophetiæ extra ordinem accepisse, quomodo hæc ad nostra tempora à novellis Prophetis applicari poterunt? *Idequidem deduci hinc facili negotio potest, quod nuper eruditissimò Programmæ Summæ Veneranda Facult Theol. Lips. demonstratum dedit, novam hodie Reformationem machinari sepe-ratissimas nostros, cui novis, diversisq; Visionibus, Ecclesiã præsertim in tenebris & cæcitate constitutã denuò præluceant*, scrib. D. Loescherus l. c. §. 45. *Ob-jicis* (II) Ipsè Lutherus non obscure innuit, novas Prophetias ultimis tempo-ribus esse exspectandas, dicens: *Quoties egregium aliquod malum imminet, mittit Deus Prophetas suos aut ministros verbi, qui verbum nunciant, qui futura mala predicant, ut saltem aliqui convertantur. In pres. in Proph. Amos Tom. III. Jen. Lat. Conf. locus in Gen. c. 6. Ipse quoq; edidit multa va-ticinia maxime de futuris Germania satis, eventu etiam maximam partem comprobata, quæ reperies apud Joh. Saubertum in Tractatu, cui titulum fecit. Lutherus Prophetæ Germania. p. (I) En tibi Lutherum, novis Prophetiis satis inimicum! Hæc tradenda & ad posteròs quod; propaganda sunt, ut fugiant & detestentur revelationem novarum doctrinarum. Ego non curo An-gelos & soleo Deum quotidie precari, ne quemquam ad me mittat NB quã-cunq; de causã. Quod si offerretur aliquis, non audirem sed avversarer, nisi de politicã necessitate aliquid significaret. Et tamen haud scio, an etiam NB. in tali casu auscultare & credere ei velim. Hæc & plura habet in c. 22. Ge-nes. fol. 305. b. p. (II) Inspice penitus objecta nobis Lutheri loca & depre-hendens, Lutherum non immediatas & extraordinarias Prophetias in cis respicere sed potius ordinariam Ministrorum Ecclesiæ ex Dei verbo prædictionem. Aliquando etiam Lutherus de potentia divinã ejusmodi visiones conceden-di, non de translatione in actum loquitur. p. (III) ex Chrysol. alicubi dicen-te: *Aliud est conjectura, aliud verò Prophetia* (strictè sic dicta) Lutherus S.*

Scri-



Scripturæ & ingenii sagacis ministerio de futuris Germaniæ rebus conjectavit & sæpe non sine eventus certitudine; quare titulum Prophetæ meruisse multis fuit visus. Inde verò Prophetæ proprie sic dicti honorem nec ipse unquam affectavit, nec ullus Theologorum nostratium illi tribuit. Conf. Excell. Dn. D. Sam. Schelvigius part. II. *der Sectirisch. Pietist. Artic. XIII. p. 257.* Hic etiam observandum est, quod multæ Prophetiæ sub nomine Lutheri circumferantur, quas tamen Luthero nec per somnium in mentem venisse, in-trepidè pronuncia. Sic Tannerus Jesuita sex vel octo Pseudo-Prophetias Luthero impingit. *Theol. Schol. Tom III. Disp. I. q. 1. Dub. 4. §. 87.* Unde verò id hausit Tannerus? ex putidissimis mendaciorum Cochleari lacunis, cui tamen calumniarum textori, mendaciorumque non semel sed sæpius convicto fidem adhibeas nullam. Vides jam, quantum distet ab Inacho Codrus? à novellis Prophetis Lutherus?

THES. II. de Malachiâ Non-Prophetâ.

Prophetæ titulum Malachiæ minime convenire statuimus. Non intelligimus Malachiam, Prophetarum V. T. ultimum, qui etiam propterea apud Rabb. הַסֵּפֶר הַנְּבִיאִים *sigillum Prophetarum* communiter dicitur, quia post ejus tempora Spiritus S. ab Israel recessisse credunt: מִשְׁמֵרוֹ נִבְיָאִים הַחֲזֹרֹנִים חָנִי וְכִרְיָה מְלֹאכֵי נִסְתַּלְקָה רוּחַ הַקֹּדֶשׁ מִיִּשְׂרָאֵל! *Ex quo mortui sunt Prophetae posteriores Haggæus, Zacharias, Malachias, ablatas est Spiritus S. ab Israel, in Except. Gem. Sanhedrim. c. 1. n. 13. LXX. verò Interpretibus dica scribitur, qui vocem מְלֹאכֵי acceperunt appellativè, ἀγγελος ἀπὸ, existimantes, Malachiam non Prophetam sed Angelum Jehovah ad Israelitas missum vaticinia edidisse, quam opinionem Hieronymus etiam Origeni adscribit eandemque refutat in proem. hujus Prophetæ. Sed innuitur in thesi ille Malachias, qui Sec. XII. à Chr. nat. Archi-Episcopus Hiberniæ, vi Testamenti, à Celsò ibidem Archi-Episcopo facti, constitutus vixit. Huic itaq; Malachiæ ob varia ejus miracula atq; visiones titulum Prophetæ deferunt Bernhard. in Vita hujus Malach. Trithem. in Chron. Hirsaug. & alii. Nonnulli verò in specie hunc ipsi honorem tribuunt ob feriem Pontificum Roman. usq; ad finem mundi anigmaticè prædictam. Hos inter potissimum refertur quidam Anonymus, qui in Tractatu, A. 1689. linguâ Italicâ Venetiis de hac Prophetiâ Malachiæ excusò c. 1. eundem cum Prophetâ Daniele confert, quod, quemadmodum hic de IV. mundi Monarchiis, ita etiam ille de Spirituali Monarchia per Vicarium Christi, Papam sc. in his terris ad finem mundi gerendâ fuerit vaticinatus. Nos etsi Malachiam vitæ integritate enituisse non plane negemus, impetrare tamen à nobis non possumus, ut ei Spiritum Propheticum ad scribamus (I) ob rationes, in Thesi I. alle-*

178

allegatas(II) ob nimiam hujus Seculi, quò Malachias vixit, in visiones quasi-
bet propensionem & verbi divini contemptum, de quo passim conqueritur
ipse Bernhard. Conf. ejus *Epist. 18. p. 10. it. Sermo I. de Advent. Dom. &c.*
Quare miraculo est Petrus Comestor ejusd. Seculi, qui assiduâ relectione Bi-
bliorum sacrum codicem quasi devoravit in tantò hujus Seculi neglectu
Scripturæ ap. Gebh. Meier. in *Hist. Relig. c. 5. Sect. 12 p. 193.* Inde itaq; faci-
le a divinis Prophetis ad falsas confugere potuerant. (III) Gravier judicium
ferunt de his Malachia visionibus Centuriat. Magd. cent. XII. in *Vitâ ejus*
p. 1030. Bernhardus testatur, *visiones eum (Malachiam) aliquot habuisse,*
que tamen, si ad amussim verbi divini examinaveris, deprehendes fuisse im-
posturas Satana ad confirmandos tetros errores factas. Et quia hic Bernhar-
di auctoritas (quem etiam B. Lutherus ipsi *Augustino in quibusdam prefer-*
re non dubitat, si credimus Colloquiis Mens. c. 30) nobis opponitur; Quare
juvat (IV) audire Hermann. Vitium in *Miscell. Sacr. c. 24.* momentem,
non omnia a Patribus primæ Ecclesiæ prolata promiscuè esse accipienda, ut-
pote qui sæpe plus justò creduli omnia Oratoriis suis formulis exaggerarint
& sæpe aliquid divinæ esse inspirationis prodiderint, quòd tamen potius ex
efficaci imaginatione profluxit, quales etiam visiones Cypriani ipsi apparent.
In specie Baronius ad *Ann. CCI. Num. XIII.* Tertulliano tantam in creden-
do animi facilitatem tribuit, ut cujuscuq; mulierculæ visionibus posthabita
omni doctrinarum veritate fuerit assentitus. Observari hic quoq; merentur
verba Melchioris Cani *lib. II. Locor. cap. 6.* *Negare non possumus, viros ali-*
quando gravissimos in Divorum præsertim prodigiis describendis sparsos
rumores & excepisse & scriptis etiam ad posteros retulisse. Quâ in re, ut
mibi quidem videtur, aut nimium illis sibi, aut fidelium certe vulgo indul-
serunt, quòd vulgus sentiebant non tantum ea facile miracula credere, sed
etiam impensè flagitare. Itaq; signa nonnulla & prodigia Sancti quoq; me-
morie prodiderunt, non quòd ea libenter credidissent, sed ne deesse fidelium
votis viderentur. Atq; Theologum etiam admoneri opera pretium est, ne id
statim illi persuasum sit, omnia, quæ magni Autores scripserunt, undiq;
esse perfecta. Summi enim sunt, homines tamen. &c. Hæc itaq; cautione &
hic opus est. Constat etiam præterea, Bernhardum quoq; suis nævis non ca-
ruisse, quos prolixè memorant Centuriat. *Magd. Cent. XII. cap. X. p. 1631. &*
seqv. Quantoperè ejus Auctoritatem ipsi Pontificii sæpe elevent & quod
eum etiam Indici Expurgatorio inseruerint, testatur *Gerhard. Tom. I.*
Confess. Cathol. lib. I. Part. II. c. 13. Porrò vixit Bernhardus in mediis Papa-
tis tenebris nempe Seculò XII. in superstiosas visiones admodum proclivi;
hinc hujus vitio facile quosdam nævos contrahere potuit. Sane Bellarminus

lib. 4 de Eccl. c. 16. non erubescit ita scribere: *Bernhardus fuit certe Papista.* Sed ne quid nimis Bellarmine! Accedit huc, quod Bernhardus Malachiam impensè amaverit, amoris vero ut & cœterorum affectuum tanta vis est, ut iudicium hominis mutare queant Arist. lib. II. Rhet. c. 1. & Senec. lib. I. de Irâ c. 7. Sed (V) nec Bernhardus semper idem. Audi, quò locò ille visiones habeat! *Adherens DEO unus Spiritus est. Meritò proinde visiones & somnia non recipio, figuras & anigmata nolo: ipsas quoq; Angelicas fastidio species, quippe & illas longè superat Jesus meus specie & pulchritudine sua* Serm II. super Cantic. Relationem verò visionum hujus Malachia: ita claudit: *Hec dicta sunt pauca quidem de pluribus sed multa pro tempore. Non enim signorum tempora hæc secundum illud: Signa non vidimus jam non est propheta Ps. 74. v. 9. Nonne verò ob Prophetiam de serie Paparum Malachias cò, quò Daniel, jure titulum Prophetæ meretur? Hoc Ithacus velit, & magno meretur Atrida!* Hoc iste Anonymus cum aliis velit & magno meretur, ut ostendere possit, hanc Prophetiam & Malachiam habere Auctorem & Prophetæ titulum Auctori suo posse conciliare. Sed oleum & operam perdit. Nam Bernhardus, inter cujus amplexus Malachias obiit, in Vita ejus, prolixè descriptâ ne minimum hujus Prophetiæ reliquit vestigium, se- cūs ac Hoffmannus in Lexic. Univers. Lit. M. p. 25. asserere videtur. Ean- dem quoq; Johannes Sarisburiensis, Petrus Venerabilis, imo ipsi Vitarum Pontificum post Malachiam defunctum Scriptores it. Baronius, Spondanus Bzovius & Raynaldus in Annalibus suis altò premunt silentiò. Quid? quod ipse Ciaccionius, cui Wion explicationem hujus Prophetiæ Malachianæ affli- guat, in Tract. de Vit. Pontific. & Cardin. aliquoties refuso, idem vaticini- um plane ignorat. Si qui posterioris ævi Scriptores hanc Prophetiam al- legant, isti sibi imponi sunt passi a Wione, qui primus hanc Prophetiam, hæ- tænus nemini cognitam, in publicam salivam emisit. Sic nepotes per ma- jorum vestigia labuntur! Porro ista Prophe- tia de serie Paparum annon adeò decantatæ hujus Malachia: Sanctitati apertissimum indicit bellum? Ange- lus Manriquez in Annalib. Ordin. Cisterciens. Ruscæ, has Prophetias de- fendentem, refutaturus, eas dicit esse *Apocryphas, ut conjectare licet, nec satis sapientes gravitatem Viri Sanctissimi.* Ita est. Etenim risum tenentis amici, quando ridiculas has Prophetias, maximè verò earum interpretatio- nes & applicationes legitis. Mera etiam ibi proponuntur anigmata, Cim- meriis tenebris involuta, mille explicationibus obnoxia, qualia quidem quilibet mortalium effundere possit. Conf. Colloq. Mensl. ann. 1691. p. 311. seqv. Id adhuc de hac Prophetiâ annotamus, eam analogiæ fidei ad- versari. Nam quia illa ultimò inter Papas locò ponit Petrum II, quare antea
nomi-

129

nominatus Anonymus primum & ultimum Papalis Monarchiæ Dominum dicit Petrum esse futurum, quemadmodum etiam primus & ultimus Imperator Orientalis Imperii Constantinus, primus vero Occidentalis Imperii Cæsar, Augustus, & ultimus, Augustulus fuerit nominatus. Ulterius hic Anonymus cap. 5. in hac Prophetiâ XXVI. Papas adhuc restare asserit, ubi cujuslibet vitæ circiter 10. annis assignatis & additis, concludit, mundum annos 260. adhuc esse duraturum. Sed tu audacissime Cabbalista, vide, quò te pedes, & quò via ducat. Graviter erras & caput impingis manifestis S. Scripturæ locis, ut Matth. XXIV. v. 36. Marc. XIII. v. 32. Act. I. 7. *Frustra igitur annos, qui huic Seculo remanent, computare ac definire conamur, cum hoc scire non esse nostrum, ex veritatis ore audiamus* inquit August. lib. 18. de Civ. Dei capit. 53. Sed mira est mendaciorum fertilitas, quia ex unò absurdo sequuntur plura. Excipit enim Anonymus: Rectè dicitur, quod in cit. locis notitia temporis, judicio extremo assignati hominibus denegetur; num verò simpliciter omnibus? Neutiquam: Additur enim: *nisi cui Pater voluerit revelare* Resp. En καλὸν εὐσημεῖα καὶ τὴν ἐκατέμηνον ἀξιῶν! Itane in S. Scriptura cernis acutum? Sed benè tibi Anonyme cum tuis ignorantia fraterculis à S. Scripturâ caves, quia *litera occidit*. Scias verò, quod hæc verba, *nisi cui Pater* &c. in locis citat. vel accensâ Diogenis lucernâ non possint inveniri, & tu illa huc pessimè transferas ex dictis Matth. XI. 25. 27. Luc. X. v. 21. 22. It. Apocalypf. XXII, 6. ubi tamen de extremo judicio ne γὰρ habetur. Coronidis loco observa, quam vanus sit Jesuita Kwiatkiewicz, qui ex supposititiâ hâc Malachiæ Prophetiâ interruptam Pontificum Roman. successionem, ex hâc verò veram Ecclesiæ suæ notam demonstrare conatur. Conf. B. Dni. M. Daniel. Hoynovii, Præceptoris & Avunculi mei desideratiss. Disput. II. advers. hunc Jesuit. pag. 86. Quid igitur prohibet, quò minùs exclamemus: *Quid Malachias inter Prophetas?*

THESE. III. De Prophetiâ Cygni.

Si falsitatis suspicione caret nuper huc allatus nuncius de cygno, qui mense Aprili anni curr. Romæ ter apparuisse, totiesq; ei interitum his verbis, RoMa CeCIDit, significasse dicebatur, tutò affirmare licebit, hunc cygnum non fuisse nullum a Deo Prophetam. Quæ enim hujus Prophetiæ (I) est necessitas? Quæ (II) promissio? Nulla Vid. Thef. I. (III) Nullum in S. Scripturâ Prophetiæ per cygnum editæ, habemus exemplum. Sed (IV) prophetiæ, formaliter sic dictæ subjectum sunt *ἐὶ ἀγοὶ καὶ οὐκ ἀνθρώπων φερόμενοι ὑπὸ πνεύματος* & ἀγίης II, Petr. I. v. 21. *Ἱεροδιδάκτοι* Hieronym. Epist. CIII.

ad Paul. Quare quid anser inter olores, & olor inter Prophetas? (V) Diabolus transformatur in Angelum lucis II. Cor. XI. v. 14. quidni & in cygnum? B. n. Lutheru, Deus, inquit, non vult nobiscum aliter agere, nisi per vocale verbum & Sacramenta & quidquid sine verbo & Sacramentis jactatur, ut Spiritus, est ipse Diabolus. in Libr. Symb. p. m. 333. (VI) Nimis serò iste cygnus cum suâ Prophetiâ advolat, & revera nihil novi affert. Etenim jam antè XVI. Secula Angelus ille magnâ voce proclamasse dicitur: Cecidit, Cecidit, Babylon! (Roma) Apoc. XVIII. v. 2. Quod etiam eventu non caruit. Cecidit sane Roma apud Deum per turpem ab ejus verbò defectionem! Cecidit Papalis Auctoritas in Oriente, ubi Papa adhuc hodie Dominicâ Quadragesimâ ceu hæreticus publicè excommunicatur. Cecidit in ipso Occidente apud tot Veritatis testes, quorum insignem Catalogum exhibet Flacius. Cecidit apud tot Imperatores Romanos, apud Reges Galliarum, Angliæ, Sveciæ, Norvegiæ, apud tot Principes, quod historiæ passim docent. Heu quantopere ipsi Romæ Papalis Amasii hanc ruinam passim lugent! Hanc verò Deus effecit ministerio nostri cygni (ab Hulsò prædicti) B. scil. Lutheri, qui ancipiti verbi divini gladiò instructus quasi unò momento omnia Papatûs fundamenta quassavit. Verè hic fuit olor *invisus virtute divinâ*, quæ inscriptio cum olore, capite coronatò in quòdam Norimbergensi Jubilæi numismate, in honorem Lutheri cusò conspicitur, test. Gab. Bart. Gramondò Lib. II. Histor. Gall. p. 178. qui tamen recitatâ de Prophetiâ Hulsii historiâ venenatos calumniarum aculeos in Lutherum emittit, dicens: *Lutherani fatidicâ hâc Hulsii voce Lutherum velut a Deo præ-nunciatum jactant, nescio, unde ductò ab olore in Lutherum auguriò, nisi quod olor nigrâ intus carne, pelle extimâ albus est, quod probe hereticis convenit, passim hypocritis.* Olor amphibium animal est, utrique elemento æque debitum, qualis Luthero vita fuit, primùm Catholico Romano & inter Catholicos Monacho, postmodum Apostate & hæretico. H. I. Vah impium os, cui contundendo nulla taxa sufficiunt! Veriorem inter cygnum & Lutherum institutam comparationem reperies apud *Wolffg. Franzium in Hist. Animal. Part II. c. 7. p. m. 307.* Legi præterea meretur Dn. D. Mayeri Lutherus Apocalypiticus, quem per Angelum ex Apocalypf. XIV. v. 6. 7. descriptum designari, egregiè demonstrat. Sed dicunt, novam ruinam Papatui ab hoc cygno portendi & quidem hoc anno futuram, indicante id numerò MDCCII. in hâc Prophetiâ, RoMa CeCIDit, conspicuò Respond. Usque adèd verè dicit *Ludovic. Vives* Comment in *lib. 18. August. de Civitat. DEI cap. 53.* *Nullares est, de quâ liberius homines mentiantur, quam de futuris, quia nos nihil audimus libentius, etiam fimentiri sciamus.* Sed novorum Cabbalistarum (Germ. *Zahls* Pro-
peth

180
pheten) *hæc de re calculantium digitos resolvit & quiescere jubet ille, qui dicit: Non est vestrum scire tempora & articulos temporum, quos Pater in sua ipsius constituit potestate Act. I. v. 7. dicit aliàs Aug. lib. 18. de Civ. Dei c. 53. Scriptura S. potius non obscure innuit, *παυλεθελαι* seu plenariam regni Anti-Christi destructionem differri ad gloriosum Christi ad iudicium, adventum, ut patet ex collatione cap. XVII. & XLIX. Apocal. cum cap. XIX. v. 17. Apostolus etiam docet, quod Anti-Christus destruendus sit *τῆ ἐν Φαυεία τῆς παροχίας* Christi II. Theff. II. v. 8. Id Lutherum etiam non latuisse indicant ejus verba: *Allein der jüngste Tag soll das Papstthum zerstören* | in explic. Ps. 10. Tom 2. Germ. Jen. f. 93. Annon igitur ausu plusquam Rhadamantino, Bellarminus ex Cochlæo refert, Lutherum anno 25 prædixisse, fore, ut si ipse adhuc per duos annos suam doctrinam prædicaret, evanesceret Papa, Cardinales, Episcopi, Monachi &c. ? Sed bene habet, quod NB. mendacissimi Cocbleii testimonio Bellarminus has suas narrationes muniat, dicit aliàs Kromay. P. I. Theol. Pol. Art. XVIII. p. m. 802. Vide horum refutationem ap. Gerhard. Tom. V. de Ecclesiâ p. m. 1280. Tecum habita Bellarmine, & falsitatis potius deprehendes esse arguendum tuum Johann. Tailnierium Hannoverium, qui in Ph. siogn. Paul. opere Mathematico p. 457. Anno 1572. prædixit, *religionem Lutheranam intra triennium extirpandam*. Nihil jam restat, quam ut Martialis distichon ex libr. XIII. paucis mutatis ad hunc cygnum ita applicemus:*

*Roma tibi fictâ modulatur carmina lingua
Cantator cygnus funeris hicce tui.*

THES. IV. De igne Johanneo.

Ignis Johannei (Germ. *Johannis Feuer*) incensio merito superstitiosa & impia habetur (1) *quia videtur esse originis Ethnicæ*. Origo quidem hujus ignis non est adeo certa; hinc nonnulli etiam ejus originem referunt ad Christianos, propterea ignem accendere solitos, ut mente piâ recordarentur Johannis Baptistæ, qui ceu Phosphorus Christum (Solem justitiæ) præcessit & ab ipso Christo *ὁ λόγιος ἐ καὶ ὁμοιος ἡς Φάναν* lucerna ardens & lucens dici meruit Job. V. v. 35. Conf. Guil. Durandus in *Rational. Divin. Offic. lib. 7. c. 18. fol. m. 441.* & Belet in *Divin. Offic. explic. c. 137. f. m. 556* ubi etiam uterque adhuc aliam ignis hujus rationem ita indicat: *Est & alia causa, quam obrem ossa animalium comburantur, quod ossa S. Joannis in civitate Sebaste ab Ethnicis combusta fuerunt*. Scilicet Johannem jussu Herodis decollatum, a Discipulis suis prope Sebaste, Palæstinæ oppidum fuisse sepultum, ex Josepho & Hieron. colligit Hospinian.

lib. 1. de test. Chr. p. 91. Cum verò ibi ad Johannis sepulchrum multa miracula essent facta, ejus ossa a Gentilibus dispersa & tandem combusta fuisse dicant. Vid. M. Zeumer Disp. de hoc igne §. 3. Sed meliori jure ignis hujus natalis apud Ethnicos & investigari & inventi possunt. Constat enim, Gentiles ignem propter singulares ejus effectus vice Numinis coluisse, exemplò Chaldæorum, Chami, ejusque posterorum (Cherbury de Relig. Gent. p. 69.) Assyriorum, Perlarum, Græcorum, Romanorum &c. test. Christ. Matthie in Theatr. Hist. Monarch. I. p. 17. Imo Judæis etiam e Gentilium, præsertim Chaldæorum *κακοθλῖα* aliquando cultum ignis solennem fuisse putat B. Aug. Pfeiff. atque dicit: *Valde probabile est, ⲙⲓⲛⲓⲛ (Levit. XXV. 30.) notare pyratheia seu cultum religiosum, igni exhibitum, in Dub. Vex. Ant. 2 p. m. 276. Idem confirmat Cluver. de a. i. quis Germanis lib. 1. Germ. Antiquit. c. 29. & de nostris antiquis Prussis Hartknoch Dissert. 8. de Diis Vet. Pruss. Minor. p. m. 144. In hujus verò Dei, ignis nempe honorem varias ferias certis temporibus instituerunt, eumque tantis clamoribus, saltationibus &c. coluerunt. Id potissimum indicant *Palilia* seu *Patilia*, feriæ Palis, Deæ pabuli & Pastorum, quæ & *Vesta* dicitur. In his sacris Pastores accendebant stipulas & fœnum, flammamque saltu transmittiebant, quod præter Tibullum Ovidius lib. 4. Fast. p. m. 95. testatur, inter alia sic canens:
Per flammam salis se pecus, salis se colonos;
*Quod sit natæ nunc quoque, Roma, tuo.**

Cum igitur tum aliis Gentilium ritibus, tum præcipuè *Paliliis* ignis Johanneus tam prope accedat, verisimile videtur, ei Ethnicam originem assignari posse. Sanè Octav. Ferrarius Pontific. hanc appellat *superstitionem, ex gentilibus reliquam*. Consentit Durand. l. c. *Qui immunda cremant & fumum in altum produci faciunt, habent hoc a gentibus*; ubi porro refert, quod Gentiles ignes circa puteos excitaverint ad fugandos spermaticos Dracones, ultimò hæc addens: *Et quia istud maxime hoc tempore* (scilicet quò Festum Johannis apud Christianos celebratur) *fiat, idè idem adhuc ab aliquibus (ab omnibus, habet Beleth l. c.) observatur*. Plura suppeditat M. Zeumer l. c. Sect. II. Ideoq; hic ignis ejusdem cum Bacchanalibus videtur esse conditionis, quæ etiam a Gentilibus ex *κακοθλῖα* ad Pontificios, ab his verò ad Evangelicos transferunt. (II) *Quia multis scæter superstitionibus, verbo Dei contrariis*. Sic. e.g. veneficas hoc igne posse advocari existimant, quod præter experientiam Strigenitius etiam comprobat his verbis: *Des wird viel Zauberey mit dem Johannis-Feuer getrieben / es wirfft mancher einen todten Pferde Köpff / der auffn Schind. Anger gelegen ist / hinein / daß die Zauberin soll kommen und Feuer holen / andere treiben sonst andere Abgötterey. Das haben die alten recht*

187.

re christlich affenen Christen nicht gethan / in *Posill. Evang. Tom. III. p. 56.*
ubi etiam superstitionem circa Alismam (Johannis Kraut) exponit. Huc
spectat; quod ab hoc igne, nescio, quæ omina captent, variasque divinati-
ones faciant, quod etiam populum Cpoli die 23. Junii olim factitasse, Theod.
Ballamon in Schol. ad Canon. LXV. Conc. Trull. p. 422. testatur, huncq;
ritum *τελετὴν πυρκαϊῶν δαμονιασθῆ* *demoniacum ignis mysterium* vocat.
Certum quoq; est, quod multis in locis varias herbas in ignem hunc projici-
ant, additō (procul dubiō) cum fiducia votō, ut quævis adversa cum fumō
in tenues evanescant auras. Hæc verō omnia Præcepto primo esse contraria
quis negabit? Imo multos alios, eosq; manifestos ignis hujus abusus depre-
hendas licet ita tamen, ut plures adhuc in superstitionum animis occulten-
tur, præsertim apud illos, quorum omnis fere religio meris innitur superstiti-
onibus. (III) *Quia multis aliis peccatis latissimam sternit viam.* Esto, quod
ignis Johanneus, in quibusdam locis cum paucis, vel plane nullis superstitio-
nibus sit conjunctus, sed saltem (quod multi prætendunt) ob juvenum
delicias institutus, num vero statim propterea erit approbandus? Ut enim
nihil dicamus, tales tot juvenum, alibi etiam simul puellarum conventus,
& (quod fit in plurimis locis) nocturno tempore & hunc in finem institu-
tos, ansam multis facile posse suppeditare sceleribus, id tantum, quod re-
verà fit, proponimus considerandum, quod propter hunc ignem sive in Vigi-
liis sive (uti in Prussia nostrâ communiter receptum) ipsō Festi Johannei die
accensum multum solemnitatis & devotionis, huic Festo, cum magnâ olim
devotione celebrato & adhuc celebrando, decedat, quod contra III. Præcept.
Porro illud immodicum & lascivum adultiorum præprimis bacchantium u-
triusq; sexus tripudium &c. item furtum palorum, ex sepibus extractorum,
fœni & aliarum, possessoribus suis utilium & tamen in cinerem redactorum
rerum, VI. & VII. Præceptum infringunt. *Ex ungue leonem* & ex his brevi-
ter dictis ignis Johannei impietatem liquido cognosces. Ejusdem fere ritus,
tempore suō Cpoli usitati impietatem agnovit olim Concilium Trullanum,
quod C. nonē 67. ita decrevit. *Qui in noviluniis a quibusdam ante suas
officinas & domos accenduntur, rogos, supra quos etiam antiquâ quâdam
consuetudine satire ineptæ ac deliræ solent, jubemus deinceps cessare.
Quisquis ergo tale quid fecerit, si sit quidem clericus, deponatur, sin autem
Læicus, à Pœ. S. S. segregetur (excommunicetur) &c.* Hunc verō ri-
tum describit Theod. Ballam. l. c. *Quis itaque & nunc vitio vertet tum Ec-
clesiæ Ministris, quando hunc ignem accendentes, ut quondam Maximus
Tauriensis Bacchanalia celebrantes (ap. Kromay. Hist. Eccl. Sec. V. p. m. 205.)
ceu Dæmonum administratos pro concione depingunt: tum Magistratui,
hunc impium ritum pro virili impedire satagenti?*

THEs,

THES. V. De Achilleo Argumento contr. Communic. Idiom.

Communicationem Idiomatum, humanæ Christi naturæ in tempore
vi unionis personalis factam sufficientissimè ex S. Literis passim probant
Theologi, maximè verò è palmariò Apostoli dicto ad *Coloss. 11. 9.* Si enim
πάν τὸ πλῆρωμα τῆς Θεότητος in Christo *σωματικῶς* habitat, quidni &
omnium idiomatum congeries? τὸ *σωματικῶς* verò *August. Oecumeniu-*
Damascen. &c. ita explicant, quasi dictum sit *in corpore eeu in quòdam templo,*
sicut ipse Christus *Job. 11. 9.* corpus suum vocat templum. Rectè pii veteres:
ὅλη ἡ θεότης ὁλικῶς ἐν μία τῶν ἐαυτῆς ὑποστάσεων ἐκονώθησεν ἡμῖν.
Hic verò nobis opponitur ab Adversariis argumentum, eorū opinione Achil-
leum, sequenti modò: Aut *omnia* idiomata divina naturæ humanæ sunt com-
municata, aut *nulla.* Atqui non omnia, quia caro Christi non est infinita,
æterna & c. E. nulla. *Et.* Itane colligis? E. & me eòdem colligendi jure uti pa-
tiare. Jam audi: Tu qui hæc opponis, aut *omnem* habes sapientiam, aut *null-*
lam. Non omnem, quia es Deus. E. nullam sed unà cum tuâ objectione es
insipiens. Egregius es Dialecticus, ignarus sane, quod contrariæ propositiones
medium possint agnoscere. Hinc ictus sapias & argument. tuum ita concipias:
Aut idiomata *omnia* carni Christi sunt communicata, aut *nulla,* (en tertium!)
aut *quædam.* Sed excipis: *Quædam* saltè idiomata divina carni Christi esse
communicata, dici non potest, quia essentia divina est *ἕν* ac proinde
communicatò unò propriò, *omnia* simul communicentur est necesse E, aut
omnia sunt communicata aut *nulla.* *Et.* (I) Non humanæ rationis, noctuæ in-
star h. l. caligantis sed S. Scripturæ audienda sunt monita. (II) *Neg. Conseqv.*
En instantiam! Hypostasis & essentia in Deò Patre realiter non differunt & ta-
men beatè credimus, Patris essentiam Filio esse communicatam; hypostasin
verò nequaquam, alias esset una cum Patre persona. Nec Natura hic pro-
fus reclamat. Ignis ferro communicat vim urendi, non autem levitatem. (III)
Idiomata divina alia sunt *κατ' αὐτὸ* seu *ἐνεργητικῶς*, quæ intra simplicissimam
Dei essentiam considerantur & ab omni externâ operatione quiescunt; *alia*
πρὸς τὸ ἔξω seu *ἐνεργητικῶς* i. e. in operatione ad extra spectata: Itaq; *primi*
generis idiomata sunt unum indivisibiliter, nullaq; est inter ea differentia: *Ita*
verò *generis* possunt omnino distingui (IV) *Distinguo* inter prædicationem &
ejus *modum.* Rectè quidem dicitur, omnia idiomata divina de carne Christi
posse prædicari sed non eòdem modò prædicandi, quia *illa* idiomata, ut æter-
nitas, infinitas &c. *immediatè*; hæc verò e. g. bonitas, omniscientia &c. *mediatè*
prædicantur de hum, Christi naturâ, adeoq; omnia sunt communicata quoad
communem *ἡψω*, sed quædam saltè quoad *χρῆσιν* & immediatam deno-
minationem: e. g. non dico *immediatè*: Humana natura Christi est æterna, in-
finita, sed (scil. mediatè) habet bonitatem, sapientiam æternam, infinitam. Et
sic putamus Achillei hujus argumenti nervum esse incisum, *vid. Gerhard. in*
Orat. de hoc argum. in actu Doctor. habitâ Quæsted in Syst. Theol. Sect. II. c. 3,
p. m. 100, &c. Meisn. part. I. Phil. Sobr. Sect. I, p. 54.

Fd 5611

ULB Halle
002 715 18X

3





71+306

VD 77

NC







174.
12

PENTAS
T H E S I U M
THEOLOGICARUM,

I. De Prophetiis in genere. II. Malachiâ non-Prophetâ
III. De Prophetiâ Cygni. IV. Igne Johanneo.
V. De Achilleo Argumento contra Communicationem Idio-
matum, humanæ Christi Naturæ factam.

Quam
FAVENTE DIVINA GRATIA,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO atque EXCELSISSIMO PRINCIPE ac DOMINO,
DOMINO FRIDERICO
WILHELMO,
REGNI PRUSSIÆ ET ELECTORATUS BRANDENB.
HÆREDE &c. &c. &c.
CONSENSU VENERANDÆ FACULTATIS THEOLOGICÆ,
PRÆSIDE

VIRO MAXIME REVERENDO, EXCELLENTISS. Atq; AMPLISSIMO
DN. PAULO POMIAN PESAROVIO,
S. S. Theol. D. ejusdemq; Profess. Publ. Extraord. Celeberrimò,
Eccles. Cniphosianæ Pastore, Scholæque Inspectore Vigilantissimò.
Consistorii Samb. Assessore dignissimo
Patrono ac Præceptore suo, omni observantia cultu prosequendò M.

Publico Eruditorum Examini
H. Lq. solitis submittit
BARTHOLOMÆUS ANDRÆ,
Phil. & S. Theol. Stud. Johannsb. Pruff,
AUCTOR ET RESPONDENS.
ANNO MDCCL. d. Octobr.

REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS.